Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8140
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek

ad iudicium veniet cunctos spiritus discernere. Sic scriptum est: Veniet dominus
in iudicium cum omni despecto. hoc est tam diligenter iudicabit in hoc mundo de
spectissimum, quam omni gloria excellentissimum. Non vestitus veste nuptiali foras pro
icitur, quia carens caritate nuptiis dei, quae est caritas, non admittitur. Vestis namque
nuptialis est caritas, per quam adipiscitur eterna claritas. Manus et pedes sibi fu
nibus peccatorum ligabuntur, quae hic pravis operibus constringuntur. Membra quippe quae
hic ad malum laxantur, ibi ad supplicium coartantur. In tenebras exteri
ores proiciuntur, qui nunc interiores tenebras delectabiliter patiuntur. Ibi
erit fletus et stridor dentium, quia transibunt ab aquis nivium ad calorem ni
mium. A fumo etenim ignis fletum, a nimio frigore patiuntur stri
dorem dentium. Multi autem vocati, pauci vero electi. Quia videlicet multi ad
fidem vocantur, sed soli electi salvantur. Due vocationes sunt, una exte
rior, altera interior. Per exteriorem multi per apostolos et predicatores vo
cati sunt ad fidem; per interiorem pauci per filium tracti sunt ad patrem. Per exteriorem mul
ti pisces sagene fidei inheserunt, quos electores tamen foras miserunt. Per inte
riorem pauci latuerunt, quos in vasa elegerunt. Hic sunt reprobi permixti elec
tis ut palee granis. Christo autem cum ventilabro veniente palee excusse
igni inextinguibili tradentur, grana autem in horreum dei congregabuntur.
Et nos karissimi ad nuptias dei cum multis vocati sumus; studeamus bonis
actibus ut cum paucis electi simus. Prandium nobis cottidie paratur dum sa
cra scriptura cum corpore Christi nobis proponitur. Tauri ad hoc convivium occisi sunt,
quia apostoli tauri gregis domini pro invitatione harum epularum extincti oc
cubuerunt. Ad hoc et convivium altilia occisa sunt, quia quique ad celestia mente
convolantes pro his epulis prostrati sunt. Tauri quoque persecutores fuerunt, qui corni
bus crudelitatis fideles ventilaverunt, sed Christo vincente iam enervati
sunt. Volatilia autem heretici extiterunt, qui quodammodo ad alta volaverunt, quando
os in celum posuerunt et iniquitatem in excelso contra dominum locuti sunt. Sed
a catholicis victi et exterminati sunt. Et quia hec omnia per Christi potentiam sunt
sedata, omnia sunt nobis ad salutem parata. Ideo ob nulla negotia negli